statutum est. sic papa auctoritate obtinere debet regimen sanctam romanam ecclesiam et dis-
ponendi facultatem illius.

De ceteris officiis que sunt in clero

Hi sunt ordines et ministeria clericorum, que tamen auctoritate pontificali in archidiaco-
ni cura et primicerii ac thesaurarii sollicitudine dividitur.

De archidiaconibus

Archidiacono imperant subdiaconi et levite, ad quem pertinent ministeri-
a. Sollicitudo parrochiarum et ordinatio, et iurgia ad eum pertinent. curam reparan-
dis diocesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti. inquirit parrochias cum iussione episcopi
et ornamenta vel res basilicarum vel parrochiarum gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo
idem refert. collectam pecuniam de communione ipse accipit et episcopo defert. et cetera quedam e-
piscopalis providentie ministeria sub episcopo quasi in parte cure advocat in causis ecclesia-
sticis examinandis dispensat.

De primicerio

Ad primicerium pertinent acolyti, exorciste, lectores atque psalmiste vel cantores. Signum
quoque dandum pro officio clericorum, pro vite honestate, et officium cantandi, et peragendi sollicitudo, le-
ctiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium et responsoria quis clericorum dicere de-
beat. ordo quoque et modus psallendi in choro pro sollempnitate et tempore. ordinatio quoque pro lumi-
naribus deportandis. Si quid etiam necessarium est pro reparatione basilicarum que sunt in urbe, ipse
denuntiat sacerdoti. Epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum parrochianis per hostiarios dirigit.
Clericos quos delinquere cognoscit ipse distringit. Quos autem emendare non valet, eorum excessum ad a-
gnitionem episcopi defert. Basilicarios ille constituit et matriculas ipse disponit. Quando autem primi-
cerius absens est, ea que predicta sunt ille exequitur qui ei aut loco est proximus aut eruditione
his explendis certus.

De thesaurario

Ad thesaurarium pertinent hostiarii, basilicarum ordinatio, incensi preparatio, cura
chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, preparatio luminariorum in sa-
crificio et sacrificiis.

Quando et quo tempore ordinationes sunt faciende

Ordinationes a sacerdotibus, scilicet presbyterorum et diaconorum, non nisi certis temporibus fieri debere sancti patres
decreverunt: videlicet ieiunio mensis quarti et septimi et decimi, et initii quadragesimalis,
ac mediante quadragesima die sabbati circa vesperam ieiunio celebrato. Quando autem episcopus or-
dinationes facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt feria quarta ante ipsam
ordinationem evocandi sunt ad civitatem una cum presbyteris qui eos presentare debent. Tunc episcope

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 90, f. 47r – Hugo de S. Victoris, De sacramentis fidei christianae (http://www.e-codices.ch/fr/bke/0090/47r)